



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

Meditatio 29. De Christi apud populum productione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)

MEDITATIO

VIGESIMANONA.

DE CHRISTI AD POPV-
lum productione
EVANGELIVM.



XIVIT iterum Pila-
tus foras, & dixit eis:
Ecce adduco eum vo-
bis foras, vt cognos- *Ioan. 19.*
catis, quia in eo nul-
lam caussam inuenio: Exiit ergo
Iesus portans spineam coronam, &
purpureum vestimentum, & dicit
eis Pilatus: ECCE HOMO. Cùm
ergo vidissent eum Pontifices, & mi-
nistri clamabant, dicentes: Crucifi-
ge, crucifige eum.

PROPHETIÆ.

Ovos omnes, qui transitis per viam, *Ierem. 2.*
attendite, & videte, si est dolor, si-
cut dolor meus.

Et vidimus eum, & non erat aspectus. *Isaia 53.*
Facta est mihi hereditas mea, quasi *Ierem. 22.*
Leo in sylua, dedit contra me vocem.

L 5 CON-

CONSIDERATIONES.

1. Punctū.

IN eam faciem Christus Dominus, per tot vexationes trāsformatus erat, vt Pilatus existimaret, ad duros inimicorum a^omos moliendos, solum aspectum sufficere. Itaque producens illum foras, vnde aspici posset, diducta purpura, nudatum Iesu corpus ostendit, plenu vulneribus, & fluens sanguine, & dicit: *Ecce homo.* Apparet ergo egrediens Iesus, portans loco diadematis coronam spineam, ligatis manibus, arūdinem in dextra pro sceptro tenens, facie liuida & deturpata vibicibus, sputo, sanguine: oculi pleni lacrymis, barba & capilli diuulli. Dicit ergo Pilatus: *Ecce homo.* Ecce, quem vos dicitis filium Dei se facere. Videte, vt nullum in eo signum sit diuinitatis; sed omnia hominis ignobilis & contemti. Ecce quem vos de affectato regno accusatis, Aspicite quam coronā gestet, nihil iam timendum ab eo ne rex fiat, qui nec speciem humanam retinet.

Perpende qua verecundia & rubore perfusus sit humilis Iesus, in oculis eorū, quos sibi infensissimos esse nouerat quantoque dolore affectus sit, cum populi, quem tam eximie amabat, tamque

insig-

insignibus ornauerat beneficijs, tam auersos à se & contemptores animos esse intelligeret. Bone I E S V, cui vnquam mortalium tam ferum & ferreum cor fuit, qui inimicum eo modo malè habitum & deiectum aspiciens, non aliquam caperet misericordiae partem, & iram conceptam remitteret? tu solus repertus es, cuius calamitate nemo quisquam commoueretur aut indoleceret. Insatiabilis est inimicorum furor, & quanta tibi ad cruciatus, tanta illis ad iram fit accessio, nec sitis illa sanguinis tui ante restingui potuit, quàm te mortuum viderent in cruce.

Considera non potuisse fieri, quin & sancta Christi mater inter illas turbas versata sit, & miserandum illud spectaculum sit contemplata, formam illam dilecti filij membris à nouo inditam, & quantum videbat mutatū illum, ab eo qui fuerat? quàm diuersum ab eo, quem ipsa toties brachijs suis amplexata erat, cui tãto cum amore & veneratione, manib⁹ suis officia materna præstiterat! Audiebat mœstissima parēs sacrilegas illas voces, & impiorū clamores contra Filiū suum. Crucifige illū, crucifige illū. Heu quantum intererat inter has voces & eas quas nascenti Christo cecinerant

Angeli! Sanè quot erant voces acclamatum tot gladij sanctissimam illius animam pertansibant. Tota ergo mœroris & angoris plena, suspiciens dilectum suum tacita secum dicebat: Caritate tua vulnerata sum, fili mi, & amore tui morior.

Ioan. 9.

Philip. 2.

A des iam anima mea infirma, & misera. Ecce homo tãtopetè exoptatus, qui idcirco venit, vt deiciat te in piscinam sanguinis sui, vbi amissam valetudinem recipias. Ecce homo, qui cum in forma Dei esset, amore tui factus est homo, qui cum initio te ad similitudinem suam creasset, nunc factus est ipse similis tui, vt faciat te consortem naturæ diuinæ. Ecce homo, qui venit, vt suo exemplo doceat te rectum ad cælum iter quod est in humilitate, cõtemtu, & patientia. Ecce homo, qui cum neque reprehendendo, neque puniendo in nobis filijs refractarijs emendandis proficeret; in se vertit iram, & diuerberans laceransque faciem suam & capillos, in hac specie se nobis ostendit: vt cum ipsum tam miserè deformatum videremus, agnosceremus gravitatem casus nostri. Ecce homo, quem tibi Pater æternus dono dedit: vt illius precio emas tibi hæreditatem regni cælestis.

COL-

COLLOQVIUM.

ORA Christum D. N. ut quia ipse amore tui, voluit tanto cum pudore & contemptu ostendi inimicis à Pilato: gratiam tibi concedat, ut oculis animi hoc vitium humilitatis & caritatis speculum intuens, ex intimis sensibus illius dolore commouearis, ut cum intellexeris quanta ille tua causa sit passus. attentius illum ames, atque ex hoc amore desideres & te contemni, & nihil fieri in mundo.

DOCUMENTA.

1. CONTEMPLARE Dominum illa specie, qua fuit à Pilato ostensus, id est, humilem, nudum, flagellatum: & cogita, si ipse sit via, hanc eundem tibi esse, si quidem ad vitam cupias pervenire.

2. Si consideremus ignominiam regis Angelorum, non magnopere solliciti erimus, quo loco nos habeat mundus. Ne ergo pudeat nos pro Christo apud homines esse contemti: quando ille coram inimicis suis tanto pudore sustinuit affici.

3. Ecce homo, inquit Pilatus. Volebat Dominus ostendere, talem esse hominem per peccatum in animo: plenum scilicet vulneribus & doloribus, qualem ille se

tum in corpore suo sanctissimo demonstra-
bat.

4. Si miserabilis Saluatoris aspectus, nō
potuit inimicorum animos retrahere ab
inferenda illi nece: debet saltem nos, qui
amicorū nomine censeari volumus, à con-
tinuis ipsius offensionibus retardare.

5. Christum flagellatū & contemptum
ostendunt populo, qui vocatione sua reli-
cta, cum Christi contemptu & bonorum
scandalo se mundo ostendunt.

6. Si peccatis aut tentationibus occupa-
ti sumus, ostendamus Saluatoris hanc
speciem aeterno Patri, quam Pilatus Iu-
dais ostendit. Si enim ea erat illius species,
qua animos hostiles mouere posset,
quante facilius, viscera pa-
terna mouebit, ut
miseretur
nostri.

MEDI.